SYMBOLVM AMORIS.

Peregregię indolis Adoleſcẽtib.

Primã in Artibus & Philoſophia Laureã in Alma Acad. Crac. Capeſſentibus.

A

HYACINTHO SIDO, Stud. Almæ Acad. Cracouieñ. Conſcriptum.

CRACOVIAE,
In Officina Typ. Matthię Andreouienſis,
Anno Domini 1632.

IN ARMA
Illuſtriſſimorum Principum in Zaſlaw.



ANnulus hic medius, iucundi eſt pignus amoris,
Conſtantique fide, pectora iuncta tenet.
Cynthia clara tuos titulos, & Stemmata cingit
Semper ſydereum lumen in orbe micans.
Cùm timidi Nautæ feriunt mare, & æquora verrunt,
Sydera conſpiciunt, gaudia magna tenent.
Sic quoties Patriæ occurrunt permagna perîcla,
Exortum lumen, mox fugat omne malum.
Hinc pietatis honos, candoris ſymbola fulgent,
Clareſcunt Tituli, nobile Stemma Domus.

Jllustrissimo Principi ac Domino,

D. WLADISLAO DOMINICO,

DVCI IN OSTROG & ZASŁAW:

Comiti in Tarnow.

Dño & Patrono obseruantissimo.

SI labores literarij, pro magnitudine cõpensandi fuissent Illustrissime Princeps, considerata praesèrtim dignitate literarum, et eorum, qui literarum studijs strenuam operam nauauerunt, difficultatibus diligentèr aestimatis nulla reperietur aequa satis ac digna laborum merces, id quod Isocrates eloquentissmus et sapientissimus deplorauit, inuectus in Graecorum Principes, & Moderatores Rerũpub. qui cùm certaminibus corporis praemia magna decreuissent: cõtentionibus tamen sapientiae nullum. Hoc cùm animaduerto, laudo Academias omnes, laudo Principes Terrarum qui sapientibus fauent, studijs, generi mortalium cuicunq; praecurrere conspiciunt, his insignia literarum Praefecti Academiarum deferunt, et eos in alto dignitatis gradu collocant, ne multi praemiis saltèm, quae deferri possunt, carentes: suos ad alias res animos, volunta-

tesq; conuertant. Ego itaq; dúm mecum tacitus recognoſco, cui ſymbolum Venerabilium DD. Candidatorum potiſsimum offerri, ac meritò dicari poſsit: Tu vnus Illuſtriſsime Princeps potiſsimum occurriſti. Cùm enim ex communi fama cognouiſsem, Te prætèr cæteras generoſiſsimas animi virtutes, et eruditionem ſingularem, & innatam prudentiam, virtutum omnium præſtantiã literarum quoq; Cultorem aſsiduũ, et Literatorum Patronum, imò Patrem exiſtere liberaliſsimum: animo ſanè auidiſſimo, hoc quidquid eſt laboris mei, ſub auſpicio Ampliſsimi Nominis Tui, exire in publicum volui. Quod igitur reſtat, Tibi Illuſtriſsime Princeps Symbolum offerro, dedico, conſecro, quâ par eſt animi ſubmiſsi obſeruantiâ, rogans vt eâ vultus ſerenitate accipias, quâ multorum antè hâc lucubrationes ſplendidiſsimo Nomini Tuo inſcriptas accepiſti: eamq; ob cauſam verè humanus, ac liberalis Princeps vbiq et audis; & prædicaris. Quòd ſi hac in parte, pro innata Clementia Tua, voti me mei compotem feceris, & ſatis vberem laborum fructum percepiſſe, et immortali me affectum beneficio iudicabo.

Illuſtriſsimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimus Cliens.

SEBASTIANO KOSZVCKI.

DOcti ſonos reſonare modos, cantusq́; ciere,
Sarmaticis aſſuete iugis, Craciq́; viretis
Koſuci, ô cultor, quem dux ſapientiæ Apollo,
Ducit ad æternos Muſarum laude penates,
Eloquio, genio, paucis pietate ſecundus,
Præcedis: te alij meritò comitantur euntem,
Accipe depictum Lauro cum Bacchare ſertum,
Et primas teneas ceu ductor in agmine partes.

ROCHO SWIATLOWIC.

Aurea ſi retulit deuictis vellera monſtris
Æſonides: primus qui rate findit aquas,
Si tulit Alcides, poſt duros dona labores,
Si Circæa Deus templa, canorus habet.
Quid tibi nunc referam, Sophiæ qui culmen iniſti.
Corporis, ac animi, quod ſuperare labor.

Swiatłoui, capias quos dat tibi Phæbus honores,
Quæ cumulat Pallas, præmia digna cape,
En iam nata Iouis cingit tua tempora lauro
Accipe pro meritis laurea ſerta, tuis.

BARTHOLOMÆO BVRKATOWIC.

Iurè tibi virtutis honos, debetur Amice.
Vixiſti ſtudijs, inuigilando Tuis,
Muſa tibi eſt cordi: porrò natura benignũ,
Miteq́; donauit & docile ingenium.
Olím te Phæbus blandis aſpexit ocellis,
At nunc pro meritis, gaudia digna parat,
Ergò Palladio totum te trade labori
Qui fuerat facilis cedet & ipſe tibi.

GREG: STANIS: CHRZĄSTOWIC.

Plaudite Pietides Parnaſſi climata ſcandit,
Chrząſtouius veſter, Plaudite Pierides,
Plaudite Pierides, veſtros ſubit ille labores,
Dignus Apollo fauet, plaudite Pierides,
Plaudite Pierides, cytharam crinitus Apollo
Pulſet, vos lætæ plaudite Pierides,
Plaudite Pierides, lauro redimite capillos,
Voceq́ue ſuauiloquâ, Plaudite Pierides,

Plaudite

Plaudite Pierides, vester sonet æthera clangor.
Lætum reddat Iô, Plaudite Pierides,
Plaudite Pierides, resonantia tangite plectra,
Threiciaque lyrâ, plaudite Pierides.
Plaudite Pierides, tali nam dignus honore
Chrząstouius vester: plaudite Pierides.

PAVLO BOYM.

GAude Musarum cultor placidissime Boym,
Gaude te meritus concomitatur honos.
Lautea serta tibi iustè non aurea dantur,
Namq́; tuo genio laurus & ipse viret.
Perge bonis auibus te gloria manet euntem,
Ad primos lauri tendere perge gradus.
Iuppiter Eloquij dignum te fouet honore,
Iussit & innumeris stringere verba modis.
A pede felici redimito tempora lauro,
Hæc nam pro meritis donat Apollo tuis.
Non census magni, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit,

MARTINO BARSZC.

Huc ades ô virtutis amans, & laude perennis,
Huc properes Phœbi, cara propago sui.

Omine

Omine felici Stagyręum ſumito ſertum,
Dignus cui compar, attribuatur honos,
Talia magnanimis, victoribus obuia quondam
Munera, ſæpè dabat Martia Roma ſuis,
Hæc ferto felix, longum valeasq; per æuum,
Nulla timet Muſis ſæcula partus honos.

ALBERTO ALEXANDRO KINELLOWIC.

Virtus æterna poſſeſsio.

Quod ſuperas Alberte tuos, quod honoribus ãteis,
Fortunæ hæc dici, munera, poſſe vide.
Quod ſis auguſto ſpectandus corpore, forſàn
Natura hanc dotem, vendicet ipſa ſibi.
At quod tam multis fulges virtutibus, atq;
Eximijs rari, dotibus ingenij
Adde quod ingenium, longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multò quàm fuit antè minus,
[illegible]ilis aſſiduo ſi non renouetur aratro
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager,
Nam neque Pyramidum ſumptus, ad ſydera ducti,
Nec Iouis Elæi, cælum imitata domus,
Nec Mauſolæi diues fortuna ſepulchri,
Mortis ab extrema, conditione vacat,

Aut

Aut illis flamma, aut imber ſubducit honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent,
At non ingenio, quæſitum nomen ab æuo
Excidet ingenio, ſtat ſine morte decus.
Non te pœniteat duros ſubijſſe labores,
Aut operi aſſuetas, applicuiſſe manus,
Segnities ſpecie recti velata cucullo.
Non ſe, non alios vtilitate iuuat.

Stanislao Sczvka.

Nil eſt quod te angat ſoboles gratiſſima Phæbo,
Nilq́ue quod excruciat cor, animumq́ue tuum,
Nam tua fama implet Parnaſſi culmina montis,
Et doctrina tua eſt, ingeniumq́ue ſagax,
Laude tua Sczuka meruiſti laurea ſerta,
Dignus es meritò cui tribuatur honos,
Te referent Muſæ, viues dùm robore tellus
Dum cœlum Stellas dùm vehet amnis aquas,

Hyacintho Adamowicz.

Pallade Sarmaticis gaudens Academia regnis,
Gaudet de natis, tempus in omne ſuis,

Graciades Musæ linguis, animisque fauentes,
Exultant subitò lætitiâque sonant,
Namque alios inter cernunt te iurè sodales.
Cernunt Phœbi colam, deliciasque suas,
Cum quibus ingenio, certas virtutis amore,
Virtutem sequitur, digna corona satis.

MARTINO GOSLINSKI.

Ter trinus numerus doctum præcedit honore,
Goslinium: felix gaudia sume noua,
Ordine te decimum comitantur ritè sodales,
Lætus Goslini laurea serta cape.
Philosophum nexus, & docti dogma Chrysippi
Dum calles, decimum, sumito iure locum.

IOANNI OLOPHOWICZ.

O Soboles Phœbi, & Musarum care sodalis,
A teneris annis multus sudorquè, laborque,
Attulit ecce tibi fructum, laudemq; perennem,
Pulchro virtutum, & doctrinæ flore nitescis,
Artibus ex rectis, pulchro decoraris honore,
Cæpisti, pulchrè vigeas felicibus ausis

Nam

Nam tua laus, nomenq; tuum, remanebit in æuũ
Ocia blanda caue, i, virturis tramite recto.

Alberto Strazyc.

Præclaros iuuenis depromit doctus honores,
Præclarus doctum concomitatur honor,
Prudens in rebus, Solers, studioque labore,
Alta vigil cunctis condita mente tenes
Te decorat Phæbus, decorat te cætera turba,
Pierides Musæ, Lechiadumque chorus,
Hinc igitur Musas semper reuerentèr habeto
Sic nunquam Aonidum, te grauis ira premet.

Ioanni Skoczynski.

Non sic resplendet regum diademate vertex,
Talitèr aut lustrat, Cynthia clara plagas,
Vt Tu doctrinæ radiato lumine fulges,
Cuius ego semper nomen ad astra fero.
Te meritò auricomus semper miratur Apollo
Doctrina illustris, diceris ore virûm.
Virtutem ne priùs meritis mirabor? an artes
Doctrina, & virtus sat benè iuncta nitent.

MELCHIORI MANCZINIO.

Ordine postremus, magno sed primus honore,
Est meritò tanti gloria clara chori,
Nam veluti miles finem remoueris in ipsum,
Sis prior ingenij, viribus, arte, simul.
Namq; bonis animi clarum te clarus Apollo
Collocat: vt reliquos condecorare queas,
Est facile ingenium, mores, linguaque soluta,
Siccinè Apollo Pater fine coronat opus.